



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendiolvm Vitæ Admirabilis Et Pretiosæ Mortis B.  
Rosæ De S. Maria Limensis Peruanæ, Tertii Ordinis S. P.  
Dominici à S. D. N. Clemente IX. Beatis Annumeratæ**

**González de Acuña, Antonio**

**Augustæ Vindellicorum, 1668**

Capvt VI. Rosa capiti aculeatam coronam infigit: ejusdem lectulus,  
cervical, nocturnæ vigiliæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44063**

extenuata viribus Virgo, & pœna illi erat quicumque motus plumbea subucula prægravata. Plantis, in quibus tantum à vertice capitis erat sanitas, quoties domi clibanus accendebatur calcabat immota fornacis orificium, unde vehementior incendij vis erumpebat. Hisce deliciis demulcebat corpus, cui sat pœnarum afferebat, crebra ægritudo, exoptans etiam tentare majora, nisi vetuissent animæ moderatores. Quid quod neque delicias spiritus in corpus exundare sinebat, cavens, ac totis viribus obstans, ne divinis epulis animum saginantibus reficeretur; quod ego divortium sublimibus Rosæ operibus adnumerandum reor. Hoc unum solita erat reponere culpantibus nimium in se rigorem, finerent ipsam, quando nil boni operaretur, saltem mala tolerare.

## CAPUT VI.

ROSA capiti aculeatam coronam infigit: ejusdem lectulus, cervical, nocturnæ vigiliæ.

S Pineasæpes Rosam decebat, quæ dies, & noctes hærens in flexili senticeto, quod Christi stanno sibi coronam implicuit, additis clavicularis introrsus præcutis, & hoc diademate sibi caput incinxit non sine vulnere. plures annos duravit sub hoc spineto, quod tamen præludium

um solùm fuit severioris tormenti, imminen-  
 tis ex secunda corona aculeis nonaginta novem  
 armata. Hanc postremos decem annos ad fi-  
 nem usque vitæ prodigiosa constantia tolera-  
 vit, neque enim sine spinea corona D. Catha-  
 rinæ Senensis habitum induisse sibi videbatur.  
 Argenteam laminam flexit in circulum, illique  
 tres introrsus infixit aculeorum ordines, ita fir-  
 miter suo quosque loco inhærentes, ut Aurifa-  
 ber adhibitis forcipibus evellere nullum po-  
 tuerit. Dentatum hoc sertum quàm dirè mo-  
 mordit velatum puellæ caput, præsertim cum  
 spinæ non omnes, sed aliæ post alias successive  
 molestissima cutem invaderent, utpote ex varie-  
 tate motuum in singulis vulnerum angustiis  
 obliquatæ. Sermo ipse Virgini dolorificus erat:  
 quid si tussi concutiebatur pectus, si caput ster-  
 nutamento exonerabatur? Sed hæc illi ludicra  
 videbantur, ideoque ubi coronæ extrema coi-  
 bant, vittas innexuit, quarum attractu dolorẽ  
 intenderet, aculeos altiùs capiti infigens, neq;  
 unquam eodem quo pridie steterat loco, fige-  
 bat diadema suum, ut immitius pungeret inq;  
 intacto pœnam renovaret. Sexta verò feria se  
 profundius sauciabat, ad imum usque sinciput,  
 & auricularum cartilagineas coronam demittens.  
 Diu Matrem, ac domesticos latuit efferum  
 hoc tormenti genus, & artes quibus illud in  
 se Rosa atrocius irritabat. Sed cum aliquando  
 se blandè interposuisset Patri quærenti ad vir-

gas puerulum filium, fortuitò errore in illius caput patris manus incurrit, ac tres illicò sanguinis rivus elicit, ex quo conjecit Mater, qualis Erinaceus sub candido ejus velamine nidularetur. Quoties tartareus hostis Virginem aggrediebatur, ter illa digito pulsabat coronam suam, quæ validiùs fronti impressa certam ei victoriam asserebat. At post Rosæ interitum à sancto viro suaviata corona prodigiosum in illo divini amoris incendium repentè accendit, & odore suavissimo eundem perfudit. Ut autem spiniferum Sanctæ Catharinæ Senensis exemplar Rosa nostra secuta est, ita cum flores deessent, quibus de more virgineum demortuæ caput ornaretur, Catharinæ simulacrum suum illi diadema commodavit, in argumentum immortalis triumphi, quo excipi ab eadem Virgine, & à pulcherrimo comitatu deduci ad folium divinitatis, manu præferens palmam, & à Deipara corona decorari visa est à nonnullis probatissimæ sanctitatis. Sed redeamus ad pœnas, quibus Rosa triumphos sibi adornavit. Eam strati sui voluit esse duritiem, quæ somnū abigeret, non invitaret, imò idem lectulus, & equuleus esset. Vix obrepserat matri sopor, cum Virgo remota culcitæ parte, cui incubuerat, in substratam tabulam descendebat. At capiti rude saxum supponere tandiù perstitit, quoadusque ab irata Matre veniam extorsit suo sibi arbitrio lectum contabulandi. Truncus hic fuit

fuit undique impositus, ac lapilli subvili stragulo dispositi, ut ea inæqualitate læderent corpus, cui leves tabulæ in deliciis fore timebantur. Postea verò tria ligna tortuosa, indolata, nodosa tabulis imposuit, ac tandem ligna omninò septem certis intervallis distinxit, ac tercentum præacutis regularum fragmentis intercapedines implevit, quorum mucrones obverterentur corpori, & in hoc prato quiescebat Rosa. Porro ad lectuli caput amphoram appenderat felle plenam, quo antequam ad somnum sese componeret, fauces recreabat in memoriam Sponsi felle potati. Cervical primò fuit crassioris panni volumen incommodum, crudus deinde later, mox lapis undique scaber. At à Matre jussà pulvinar adhibere, non illud lana, sed ingenti vi segmentorum infarsit. Lanam ingeri Mater præcepit; obtemperavit Rosa; sed lanæ vim tantam stipavit; ut ligneum cervical videretur, & sub parte, à qua facies decumbentis excipienda erat, tortiles juncos occuluit. Quindecim ipsos annos fugitivum soporem super horrible stratum, quod ultimo loco delineavimus, Rosa carpsit, sensu doloris tam effero, ut ad illius cogitarum, cæteroqui generosissima tremere, æstuarer, certa non inde se, absque omnium membrorum gelido stupore, ac veluti ex ossifragio surrecturam, Examinem aliquando confirmavit Christus visibili, blandaque specie, duriozem fuisse dicens

Calvariæ lectulum, in quo pro illa cœperat mortis somnum. Tandem qui præerant Virginis animæ mitius illam ad soporem componi pro imperio adegerunt, abjectis saltem fragmentis tegularum. Ultimis vitæ annis plerumque in humili sella collecto corpusculo noctem transegit, ex nocturnis frigoribus tremens, ac rigens. Et hoc novercale corporis odium illam edocuit, ut nec unquam vigil pulvino insideret, sed vel stans perageret labores suos, vel palo pro sellula uteretur. Sed nec morti vicinam destituit hic ardor durissimè cubandi. Equuleum suum frustra quæsit: in nudo pavimento deponi non impetravit: at saltem lecticæ tabulis occipite, humerisque acclinis in duro ligno voluit qualitercumque commori Sponso crucifixo. Nec defuerunt, qui in morientis pallido vultu notarent ipsam Christi in Cruce expirantis effigiem, quod aliàs in Sancta Catharina Senensi animadvertum fuit. Quantum verò vigiliis dabat, cui lectus ipse soporem adimebat! Horas illas duas, neque semper integras somno indulsit, reliquum tempus ita distribuens, ut ex diurno, nocturnoque duodecim quotidie horas orationi seponeret, alias impenderet fœmineis laboribus, quibus parentes alebat, cumque inedia, cilicii, lectique carduetum, calidæ potus, profunda meditatio divinorum, vigilandi facilitatem ei comparassent; versutus tamen hostis illam

lam revocare nitebatur ad somnum. At Rosa, vel cervicem illidebat parieti, vel sibi tundeat latera, vel prominentibus ex lignæ crucis brachiis fortibus clavis manus applicabat, & pendulum corpusculum librabat in aere, vel oblongo, quem in cellulæ pariete clavum fixerat, modicum capillitium, residuum in fronte ob obtegendam spineam coronam, implectebat artissimè, & pendula, vix summis aliquando pedum digitis terra insistens, clavis in soporem pugnabat, de quo non satis adhibitis in lecto tribulis triumphaverat.

## CAPUT VII.

ROSÆ domestica Solitudo, fuga publici, cellula perangusta.

**A** Prima infantia solitarios angulos domi quærebat, procul à ludis puerilibus, ut uni vacaret Deo. Crescente verò cum annis studio latendi, in horto sub umbrosis platanis, flexili ramorum, palmitum, ac virgultorum circumductu modicum inclusit spatium, in quo ad humile altariolum totas hærebat dies, adeo ut domi abiverit in proverbium: hortum adeas si Rosam quæris. At grandior impetravit à Matre aliud intra ædes cubiculum, in quo seorsim ab omnibus pernoctaret. Molestissimum illi erat in publico apparere, & nunc prece, nunc